

Animula vagula blandula, 3
 hospes comesque corporis,
 quae nunc abibis in loca
 pallidula rigida nudula
 nec ut soles dabis iocos.

IGNOTI VERSUS HOR. SAT. I 10 PRAEMISSI

Lucili, quam sis mendosus teste Catone
 defensore tuo pervincam, qui male factos
 emendare parat versus, hoc lenius ille
 quo melior vir <et> est longe subtilior illo,
 qui multum puerum est loris et funibus udis
 exhortatus ut esset opem qui ferre poetis
 antiquis posset contra fastidia nostra,
 grammaticorum equitum doctissimus. Ut redeam
 illuc . . .

IGNOTI VERSUS DE VII SAPIENTIBUS

'Optumus est', Cleobulus ait, 'modus' incola Lindi;
 ex Ephyra Periandre doces 'cuncta emeditanda':
 'tempus nosce' inquit Mitylenis Pittacus ortus: